



RITUALE
ROMANUM.

BX2035

A2

1882

c.1

007452



EX LIBRIS
HEMETHERII VALVERDE TELLEZ
Episcopi Leonensis



1080020523



Nro. 14. Sumptibus FR. PUSTET, Ratisbonæ. XIX.
Deposé.

Consummatum est.

Iglesia Católica
RITUALE ROMANUM
PAULI V. PONTIFICIS MAXIMI

JUSSU EDITUM

ET

A BENEDICTO XIV.

AUCTUM ET CASTIGATUM

CUI NOVISSIMA ACCEDIT

BENEDICTIONUM ET INSTRUCTIONUM

APPENDIX.

EDITIO TERTIA ACCURATISSIMA

A SACR. RITUUM CONGREGATIONE ADPROBATA.



UNIVERSIDAD DE NUEVO LEON
Capilla Alfonsina
Biblioteca Universitaria

RATISBONÆ, NEO EBORACI & CINCINNATHI.
SUMPTIBUS, CHARTIS ET TYPIS FRIDERICI PUSTET,
S. SEDIS APOST. ET SACR. RITUUM CONGREGATIONIS TYPOGRAPHI,
MDCCCLXXXII.

44247

BX 2035

A 2

1882

Typographus **Fr. Pustet** sibi reservat et vindicat
Jus proprietatis.

Hæc editio venalis prostat:

Austria et Hungaria apud **Mayer & Co.**, Viennæ.

Anglia, Belgia, Gallia, Helvetia, Hollandia, Italia, Polonia et Russia
apud omnes bibliopolas earumdem regionum.



FONDO DE MEMORIO
VALVERDE Y TELLEZ

SANCTISSIMI DOMINI NOSTRI
BENEDICTI XIV.

APOSTOLICÆ LITTERÆ

in forma Brevis de nova *Ritualis, Cæremonialis Episcoporum,*
necnon et *Romani Pontificalis* editione,
ex quibus selegimus quæ *Rituale tantummodo spectant.*

BENEDICTUS PAPA XIV.

Ad perpetuam rei memoriam.

Quam ardenti studio, incredibili sollicitudine, assidua cura, et indefesso, diurnoque labore, adhibitis etiam, accitisque undequaque viris in sacra doctrina, disciplinaque ecclesiastica versatis, æque ac de rerum liturgicarum peritia peritissimis, sedulam operam navaverint, atque contenderint Prædecessores Nostri Romani Pontifices, ut *Rituale Romanum, Cæremoniale Venerabilium Fratrum Episcoporum, et Pontificale Romanum, sive emendatis erroribus, sive correctis inordinationibus, sive ablati inutilibus, sive restitutis necessariis, ad eam tandem formam, normamque, juxta quam de præsentis usui sunt, maximo cum omnium virorum ecclesiasticorum commodo et utilitate redigerentur; præstat in primis intelligere ex ipsis præsertim Apostolicis in simili forma Brevis Litteris eorumdem Prædecessorum Nostrorum, qui post S. Pium Papam V. felicis recordationis, Clemens VIII., Innocentius X., Paulus V., Urbanus VIII. et Benedictus XIII. ad gravissimum, dignissimumque hujusmodi opus omnibus numeris absolvendum sese pro viribus addixerunt.*

Tenores autem memoratarum Litterarum sunt, qui sequuntur.
Ac primum quidem pro *Rituale Romano.*

007452

PAULUS PP. V. *Ad perpetuam rei memoriam.* Apostolicæ Sedi per abundantiam Divinæ gratiæ, nullis suffragantibus meritis, præpositi, Nostræ sollicitudinis esse intelligimus, super universam Domum Dei ita invigilando intendere, ut opportunis in dies magis rationibus provideatur, quo, sicut admonet Apostolus, omnia in ea honeste, et secundum ordinem fiant, præcipue vero quæ pertinent ad Ecclesiæ Dei Sacramentorum administrationem, in qua religiose observari Apostolicis traditionibus et Ss. Patrum decretis constitutos ritus et cæremonias pro Nostri officii debito curare omnino tenemur. Quamobrem fel. rec. Pius Papa V. Prædecessor noster, hujus Nostri tunc Sui officii memor, ad restituendam sacrorum rituum observationem in sacrosancto Missæ sacrificio, divinoque Officio, et simul ut Catholica Ecclesia in fidei unitate, ac sub uno visibili capite B. Petri successore Romano Pontifice congregata, unum psallendi et orandi ordinem, quantum cum Domino poterit, teneret, Breviarium primum, et deinde Missale Romanum, multo studio et diligentia elaborata, pastorali providentia edenda censuit. Cujus vestigia eodem sapientiæ spiritu secutus similis memoriæ Clemens Papa VIII. etiam Prædecessor Noster, non solum Episcopis et inferioribus Ecclesiæ Prælatibus accurate restitutum Pontificale dedit, sed etiam complures alias in Cathedralibus et inferioribus Ecclesiis cæremonias promulgato Cæremoniali ordinavit. His ita constitutis, restabat, ut uno etiam volumine comprehensi, sacri et sinceri Catholicæ Ecclesiæ ritus, qui in Sacramentorum administratione, aliisque ecclesiasticis functionibus servari debent ab iis, qui curam animarum gerunt, Apostolicæ Sedis auctoritate prodirent, ad cujus voluminis præscriptum, in tanta Ritualium multitudine, sua illi ministeria tamquam ad publicam et obsignatam normam peragerent, unoque ac fideli ductu inoffenso pede ambularent cum consensu. Quod quidem jampridem agitatum negotium, postquam Generalium Conciliorum græce latineque divina gratia editorum opus morari desivit, sollicite urgere Nostri muneris esse existimavimus. Ut autem recte et ordine, ut par erat, res ageretur, nonnullis ex Venerabilibus Fratribus Nostri S. R. E. Cardinalibus, pietate, doctrina et prudentia præstantibus, eam demandavimus, qui cum consilio eruditorum virorum, variisque præsertim antiquis, et, quæ circumferuntur,

Ritualibus consultis, eoque in primis, quod vir singulari pietatis zelo et doctrina bonæ memoriæ Julius Antonius S. R. E. Cardinalis S. Severinæ nuncupatus, longo studio, multaque industria et labore plenissimum composuerat, rebusque omnibus mature consideratis, demum divina adspirante clementia, quanta oportuit brevitate, Rituale confecerunt. In quo cum receptos et approbatos Catholicæ Ecclesiæ ritus suo ordine digestos conspexerimus, illud sub nomine Ritualis Romani merito edendum publico Ecclesiæ Dei bono judicavimus. Quapropter hortamur in Domino Venerabiles Fratres Patriarchas, Archiepiscopos, et Episcopos, et dilectos Filios eorum Vicarios, nec non Abbates, Parochos universos, ubique locorum existentes, et alios, ad quos spectat, ut in posterum tamquam Ecclesiæ Romanæ filii, ejusdem Ecclesiæ omnium matris et magistræ auctoritate constituto Rituali in sacris functionibus utantur, et in re tanti momenti, quæ Catholica Ecclesia, et ab ea probatus usus antiquitatis statuit, inviolate observent.

Datum Romæ apud S. Mariam Majorem sub Annulo Piscatoris, die XVII. Junii MDCXIV. Pontificatus Nostri Anno X.

S. COBELLUTIUS.

Quæ vero pro Cæremoniali Episcoporum referuntur Bullæ Clementis VIII. incip. Cum novissime., Innocentii X. Etsi alias., Benedicti XIII. Licet alias.; item quæ pro Pontificali Romano Clemens VIII. Bulla incip. Ex quo in Ecclesia., atque Urbanus VIII. Quamvis alias. statuere, brevitatis gratia hic omittuntur. Sequitur Bulla:

Quoniam autem pro paterna caritate vehementer cupientes, ut Christi fidelibus in articulo mortis constitutis, quoad fieri posset, universis Apostolica Benedictio Nostro nomine impertiretur, et plenaria omnium suorum peccatorum Indulgentia elargiretur, per alias Nostras sub Plumbo Litteras, anno Incarn. Dom. MDCCXLVII. Nonis Aprilis, Pontificatus Nostri anno VII. datas, omnibus Ecclesiarum Antistitibus hujusmodi facultatem sub certis modo et forma expressam tribuimus, atque insimul Formulam Benedictionis et Indulgentiæ hujusmodi dandæ præscripsimus; quemadmodum Ency-

elicam etiam Nostram Epistolam die XIX. mensis Martii anno MDCCXLIV. ad dilectos Filios Generales Ordinum Regularium, quibus a S. Sede indulta vel indulgenda erat facultas Pontificiam Benedictionem effundendi super populum statis diebus, scripsimus super modo et ritu, quibus prædicta Benedictio danda est.

Præterea, ad nonnullas lites et controversias exortas e medio tollendas, itidem per alias Nostras in simili forma Brevis Litteras confirmaveramus leges et instituta Cæremonialia jussu Nostro edita pro Provinciarum Præsilibus, Gubernatoribus, Prælatibus et Apostolicis Vicelegatis, quæ sunt tenoris sequentis.

Bulla Benedicti XIV. incip. Quod Apostolus, pro Cæremoniali Episcoporum hic omittitur.

Insuper Formulam itidem Benedictionis et Traditionis Pallii, ac jurisjurandi a Procuratoribus absentium Archiepiscoporum, antequam a Dilecto Filio Nostro S. R. E. Cardinali Diacono idem Pallium accipiant, ipsorum Archiepiscoporum nomine præstandi, per Nostram Constitutionem die XII. mensis Augusti anno MDCCXLVIII. sub Plumbo expeditam statuimus.

Porro accedit ad hæc methodus quoque Scholæ Sacrorum Rituum, in Gregoriano Collegio Romano hujus almæ Urbis Nostræ Nobis approbantibus institutæ, non sine uberi per hoc tempus in sacris ritibus addiscendis profectu, aliarumque ad instar ejusdem scholæ alibi jam erectarum vel erigendarum, quæ methodus multis in libris, et præcipue in decimo Operum Nostrorum volumine Romanæ editionis reperitur inserta, plurimumque a Nobis commendatur, eamque plurimum studiosis Sacrorum Rituum prodesse compertum est.

Ea propter cum Nobis a quamplurimis supplicatum fuerit, ut typis iterum reimprimendi Rituale Romanum, Cæremoniale Episcoporum, et Pontificale Romanum hujusmodi, et non solum in iisdem antedicta omnia a Nobis statuta addendi, verum etiam Nostro jussu in lucem emittendi, licentiam de Apostolica benignitate et auctoritate concedere et indulgere dignaremur: Nos itaque probe scientes, et experientia edocti, quantum prosit, ut in uno volumine simul collecta ad manum sint ea omnia, quæ sparsim ac divisim

impressa inveniuntur, et considerantes quantam hujusmodi collectio utilitatem memoratæ Scholæ Liturgicæ in Collegio Societatis Jesu ejusdem almæ Urbis Nostræ a Nobis institutæ, aliisque ubique locorum erectis afferre possit; Apostolica Auctoritate tenore præsentium communibus tot insignium Virorum ac Præsulum votis et supplicationibus benigne annuentes, facultatem tribuimus et imperitur, ut Rituale Romanum, Cæremoniale Episcoporum, ac Pontificale Romanum sub iisdem modo et forma, quibus de præsentibus impressa reperiuntur, et usui sunt, una simul cum omnibus et singulis, quæ, ut superius relatam est, a Nobis præscripta, ordinata, et publici etiam juris facta sunt, necnon cum sæpe dicta methodo Scholæ Sacrorum Rituum, in Operibus Nostris jam editis inserta jussu Nostro, non obstantibus quibuscumque in contrarium facientibus, typis reimprimantur, et in lucem emittantur.

Datum Romæ apud S. Mariam Majorem sub Annulo Piscatoris die XXV. Martii Anno MDCCLII. Pontificatus Nostri anno XII.

CAJETANUS AMATUS.


IGNATIUS

DIVINA MISERATIONE ET SEDIS APOSTOLICÆ GRATIA

EPISCOPUS RATISBONENSIS

PATRICIUS ROMANUS, SS. D. N. LEONIS XIII. PRÆLATUS DOMESTICUS
ET SOLIO PONTIFICIO ASSISTENS etc. etc.

OMNIBUS HAS LITTERAS VISURIS SALUTEM ET BENEDICTIONEM A DOMINO.

um Fridericus Pustet, Bibliopola Ratisbonensis et Sanctæ Sedis Apostolicæ necnon Sacrorum Rituum Congregationis Typographus, tertiam editionem Ritualis Romani pararet, ecclesiasticæ disciplinæ legibus obsequens a Nobis petiit, ut hanc editionem auctoritate Nostra probare velimus. Itaque Sacerdotis a Nobis ad hoc deputati testimonio certiores facti, quod Rituale Romanum adamussim concordet cum authenticis exemplaribus a Paulo V. et Benedicto PP. XIV. editis; scientes insuper, singula ejusdem Ritualis Ratisbonæ edendi folia ad S. Rituum Congregationis Secretariam esse transmissa, et ab hac amplum integritatis testimonium meruisse: Nos libentissime concedimus, ut idem Rituale Romanum Ratisbonensibus typis exornatum in lucem emittatur.

In quorum fidem has publicas Litteras, manu Nostra signatas et Sigillo Nostro Episcopali munitas, expediri mandavimus.

Ratisbonæ die 15. Decembris 1881.

(L. S.)

+ Ignatius Ep̄ps Ratisbon.

Dr. Fr. X. Leitner, Secretarius.


TITULUS I.

CAPUT UNICUM.

DE IIS QUÆ

IN ADMINISTRATIONE SACRAMENTORUM

GENERALITER SERVANDA SUNT.

T ea, quæ ex antiquis catholicæ Ecclesiæ institutis, et sanctorum Canonum, Summorumque Pontificum Decretis, de Sacramentorum Ritibus ac Cæremoniis hoc libro præscribuntur, qua par est diligentia ac religione custodiantur, et ubique fideliter observentur; illud ante omnia scire, et observare convenit, quod Sacrosancta Tridentina Synodus *Sess. VII. Can. XIII.* de iis Ritibus decrevit in hæc verba:

2. *Si quis dixerit, receptos et approbatos Ecclesiæ Catholicæ ritus in solemnî Sacramentorum administratione adhiberi consuetos, aut contemni, aut sine peccato a Ministris pro libito omitti, aut in novos alios per quemcumque Ecclesiarum Pastorem mutari posse: anathema sit.*

3. Cum igitur in Ecclesia Dei nihil sanctius, aut utilius, nihilque excellentius, aut magis divinum habeatur, quam Sacramenta ad humani generis salutem a Christo Domino instituta, Parochus, vel quivis alius Sacerdos, ad quem eorum administratio pertinet, meminisse in primis debet, se sancta tractare, atque omni fere temporis momento ad tam sanctæ administrationis officium paratum esse oportere.

4. Quamobrem illud perpetuo curabit, ut integre, caste, pieque vitam agat; nam etsi Sacramenta ab impuris coinquinari non possint, neque a pravis Ministris eorum effectus impediri: impure tamen et indigne ea ministrantes, in æternæ mortis reatum incurrunt. Sacerdos ergo, si fuerit peccati mortalis sibi conscius (quod absit),